



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 119. Vtrum creare sit proprium alicuius Personæ diuinæ, & in creaturis necessario inueniatur aliquod vestigium Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

concurrente alia causa, non requiratur virtus infinita, tamen ad producendam muscam sine concursu alterius causæ, requiratur virtus infinita, ideoque causæ secundæ, cum habeant virtutem solum finitam, non possunt producere muscam, vel alium effectum sine concursu Dei, vt docent communiter Theologi, & Philosophi contra Durandum, ac solus Deus per infinitam virtutem suæ omnipotentia potest producere effectus finitos sine concursu alterius causæ. Proportionaliter ad producendum effectum finitum, concurrente subiecto, & materia, non requiratur virtus infinita: sed ad producendum effectum finitum sine concursu subiecti, & materiae, ac proinde ex nihilo, requiratur virtus infinita, ideoque solus Deus potest per creationem producere aliquid ex nihilo. Confirmat hoc Sanctus Thomas in resp. ad 3. Nam quo potentia, ex qua educitur effectus, & actus, est magis remota ab actu, eo maior virtus requiritur in agente; sed nulla potentia non habet ullam proportionem cum aliqua potentia: ergo ad producendum effectum ex nulla potentia, ac proinde ex nihilo, requiratur virtus nullam habens proportionem ad virtutem producenti effectum ex aliqua potentia: sed virtus nullam habens proportionem ad virtutem finitam est infinita; ergo ad producendum effectum ex nulla potentia, ac proinde ex nihilo per creationem requiratur virtus actiua infinita.

18. Ad 4. iam num. 11. 12. 13. & 14. allata est sufficiens ratio, propter quam repugnat, vt creatura creet, non solum vt causa principalis, sed etiam vt instrumentalis.

19. Ad 5. licet Incarnatio, sanctificatio hominis per gratiam, transubstantiatio eucharistica sint effectus perfectiores ex parte ipsius effectus, quam plures effectus, qui creantur, tamen creatio ex parte modi creandi ex nihilo, ac nullo concurrente subiecto, est effectus difficilior, ac non potens produci, nisi à virtute infinita; ergo licet creatura possit eleuari ad causandam instrumentaliter vnionem hypostaticam, gratiam sanctificantem, transubstantiationem eucharisticam actione aliqua, educiua ex potentia subiecti, non sequitur, quod creatura possit eleuari ad aliquid creandum ex nihilo.

QVAESTIO CXIX.

Utrum creare sit proprium alicuius Personæ diuinæ, & in creaturis necessaria inueniatur aliquod vestigium Trinitatis?

S. Th. qu. 45. art. 6. & 7.

1. Videtur non satis explicari, quo pacto creare sit commune omnibus tribus Personis, & tamen aliquo modo speciali tri-

buatur Patri, & quo pacto in creaturis inueniatur vestigium Trinitatis: ergo.

2. Respondeo: certum est primo, ac de fide, creationem esse actionem communem toti Trinitati, & omnibus tribus Personis diuinis. Hæc veritas definita est in Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. relato cap. Firmiter: in Concilio Toletano 4. cap. 1. & 11. in Confes. fidei, & in Epist. Agathonis, quæ est in 6. Synodo, Act. 4. & act. 17. Est etiam doctrina communis Patrum. Dion. cap. 2. de diuin. nomin. August. lib. 1. de Trinit. cap. 14. & 5. & aliorum, ideoque est axioma Theologorum, quod opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ratio est, quia Deus creat per suam omnipotentiam, intellectum, & voluntatem: sed omnipotentia, intellectus, & voluntas sunt communes omni tribus Personis: ergo omnes diuinæ Personæ creant, & sicut tres Personæ, quia sunt Deus per vnā deitatem, non sunt tres Dij, sed vnus Deus, sic tres Personæ, quia sunt creator per vnā omnipotentiam, & vnā virtutem creatiuam, non sunt tres creatores, sed vnus creator.

3. Certum videtur secundo, quod Deus est causa, & creator rerum per intellectum, & voluntatem. Ratio est, quia artifex causat, & facit artificata per intellectum, & voluntatem; sed Deus creauit, & causauit mundum, & omnia vt artifex perfectissimus; ergo creauit, & causauit mundum, & omnia per intellectum, & voluntatem, per cognitionem, & amorem. Rursus artifex facit sua opera artificata per verbum conceptum in suo intellectu, & per amorem productum in sua voluntate; ergo proportionaliter Pater æternus producit omnia per suum Verbum, & per Spiritum Sanctum, in quantum Verbum, & Spiritus Sanctus includunt attributa essentialia, nimirum scientiam, & voluntatem.

4. Certum est quarto, quod sicut natura diuina ita est communis tribus Personis, vt illis conueniat quodam ordine: nam Pater habet naturam diuinam à se ipso: Filius habet naturam diuinam à Patre; Spiritus Sanctus habet naturam diuinam à Patre, & Filio: sic proportionaliter virtus creatiua ita est communis tribus Personis, vt illis conueniat quodam ordine. Nam Pater habet à se ipso virtutem creandi: Filius virtutem creandi habet à Patre: Spiritus Sanctus eandem virtutem creandi habet à Patre, & Filio. Ad exprimendum hunc ordinem, Pater dicitur creator vt primus fons creationis, & vt habens à se ipso virtutem creandi. De Filio dicitur, quod per ipsum facta sunt omnia, & quod Pater creauit per Filium, ita vt particula per significet causam mediam, seu principium de principio. Sicut enim Filius est Deus, quia à Patre accipit esse Deum, ita respectu creationis est principium de principio, quia à Patre habet esse principium creationis. Spiritui autem Sancto, quia virtutem creandi habet à Patre, & Filio, attribuitur, quod Pater, & Filius per Spiritum Sanctum.

Sanctum gubernent, & viuificent quæ creantur. Addit Sanctus Thomas in resp. ad 2. quod Personis attribuitur specialiter quædam attributa communia propter quamdam conuenientiam cum proprietatibus personarum: & quia Pater ex sua proprietate personali est principium, & fons reliquarum personarum; Patri attribuitur potentia, & creatio, quæ videtur esse opus potentie. Quia Filius ex sua proprietate est Verbum, Filio attribuitur sapientia, per quam omnia facta sunt. Quia Spiritus Sanctus ex sua proprietate est amor productus, Spiritui Sancto tribuitur bonitas, ad quam spectat gubernatio, qua res diriguntur ad suos fines. Creatio igitur rerum, quia videtur præcipue opus potentie, tribuitur Patri; ordinatio tribuitur Filio; iustificatio impiorum, quia præsertim videtur opus misericordie, & bonitatis, tribuitur Spiritui Sancto.

5. Sequitur, ut cum Sancto Thoma art. 7. explicemus, quo pacto aliqui effectus creati representent Trinitatem per modum imaginis, alij representent solū per modum vestigij. Effectus, qui non solum representant causam, sed etiam representant formam causæ, representant causam per modum imaginis; effectus autem, qui representant causam, sed non representant eius formam, representant illam per modum vestigij. E. gr. fumus ita est effectus ignis, ut representet causalitatem, quæ procedit ab igne, sed non representet formam ignis, ideoque fumus representat ignem, non per modum imaginis, sed solum per modum vestigij. At ignis genitus ab igne, quia representat formam ignis generantis, representat ignem generantem per modum imaginis, & est imago ignis generantis. Ex eadem ratione equus genitus est imago equi generantis, homo genitus est imago hominis generantis, ideoque Gen. 5. dicitur: *Adam genuisse Seth ad imaginem, & similitudinem suam*. Proportionaliter statua Cæsaris dicitur imago Cæsaris.

6. Hoc supposito, creaturæ intellectuales, Angeli nimirum, & anima rationalis, ita sunt effectus Trinitatis, ut representent eius formam, adeoque ut representent Trinitatem, per modum imaginis. Ratio est, quia forma, vel quasi forma Trinitatis consistit in duabus processioneibus, altera per intellectum, per quam Deus Pater producit Verbum, altera per voluntatem, per quam Pater, & Filius produciunt Spiritum Sanctum ut amorem; sed in creaturis intellectualibus per intellectum produciuntur verbum, per voluntatem, produciuntur amor: ergo in creaturis intellectualibus representatur forma, vel quasi forma Trinitatis, ac proinde representatur Trinitas per modum imaginis, ac creaturæ intellectuales sunt imago Trinitatis.

7. At creaturæ non intellectuales, quia non representant formam, vel quasi formam Trinitatis, nimirum duas processiones, alteram per intellectum, alteram per voluntatem,

sed habent aliqua, quæ reducuntur ad diuinas personas, tanquam ad causas, continent non quidem imaginem, sed vestigium Trinitatis. Explicat hoc ex Augustino Sanctus Thomas. Nam quælibet creatura substantialis primò est per se subsistens: secundò habet formam, seu speciem: tertio habet ordinem ad aliquid aliud. In quantum igitur est per se subsistens, representat Patrem, qui est primum principium per se subsistens. In quantum habet speciem, & formam, quæ procedit ab idea existente in mente artificis, representat Verbum, quod est idea omnium rerum existentium in mente Patris, ad cuius ideæ similitudinem procedunt cuncta, quæ sunt ad extra. In quantum habet ordinem ad aliquid aliud, representat Spiritum Sanctum, qui est actus voluntatis; siquidem artifex per suam voluntatem vnum opus artificiatum ad aliud ordinat. Ideò August. lib. 6. de Trinitate, cap. ultimo relatus à Sancto Thoma hoc artic. 7. dicit. *Vestigium Trinitatis inuenitur in vnaquaque creatura, cunctum quod vnum aliquid est, & secundum quod vna specie formatur, & secundum quod quendam ordinem tenet*. Addit Sanctus Thomas, quod ad hæc tria reduci possunt numerus, pondus, & mensura, de quibus agitur Sap. 11. Nam mensura refertur ad substantiam rei mensuratum, à suis principiis; numerus ad speciem: siquidem species rerum iuxta Pythagoricos consistebat in numeris, & in proportionibus numerorum: pondus ad ordinem: nam res suo pondere feruntur, & ordinantur ad sua loca. Alia etiam tria, quæ ponit Augustinus lib. de natura boni, cap. 3. nimirum modus, species, & ordo, reducuntur ad hæc eadem. Nam, modus est ipsa substantia rei, quæ habet suum modum essendi &c. Ad eadem faciliè reduci possunt tria illa, de quibus Augustinus agit lib. 83. quæst. nimirum: quod constet, quod discernitur, quod congruit. Nam res constet, ac consistit, seu subsistit per suam substantiam, discernitur per suam speciem, congruit per ordinem. Eodem pacto quadam alia possunt reduci ad hæc, & explicari vestigium Trinitatis, quod datur in rebus.

8. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis. Dictum enim est primò, quod creare est commune omnibus tribus Personis, siquidem omnipotentia, intellectus, & voluntas, per quam creant, est omnibus Personis communis. Dictum est secundo, quod quia Personæ naturam, omnipotentiam, intellectum, & voluntatem habent quodam ordine, ideo exprimendo hunc ordinem, dicitur Pater creare ut principium carens principio, & habens à se ipso potentiam creandi: Filius creat ut principium de principio, & habens virtutem creandi à Patre, à quo procedit per intellectum; Spiritus Sanctus creat, ut habens virtutem creandi à Patre, & Filio, à quibus procedit per voluntatem. Dictum est tertio, quod quia Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas, ideo Patri attri-

attribuitur creatio, quæ videtur opus potentia: Filio attribuitur creaturæ rerum ordinatio, & dispositio, quæ videtur opus sapientiæ; Spiritui Sancto tribuitur iustificatio, & beatificatio, quæ videntur opera bonitatis, ac misericordiæ. Dictum est quarto à creaturis intellectualibus representari Trinitatem per modum imaginis, quia representantur processiones Verbi, & Amoris, quæ sunt forma, vel quasi forma Trinitatis, ac diuinarum Personarum; à creaturis non intellectualibus Trinitatem representari per modum non imaginis, sed vestigij, quia non representantur duæ processiones, sed quædam alia, vt ex Augustino explicatum est.

QVAESTIO CXX.

Virum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis?

S. Th. qu. 45. art. 8.

1. Videtur primò, quod in omnibus operibus naturæ, & artis forma naturalis, vel artificialis creetur ab agente naturali, vel artificiali, ac proinde in operibus naturæ admisceatur creatio formæ. Nam quod de nouo producit, & non ex materia, tanquam ex parte sui, creatur: sed forma tum naturalis, tum artificialis producit de nouo, & non ex materia, tanquam ex parte sui: ergo creatur.

2. Secundò videtur, quod formæ substantiales non fiant ab agentibus naturalibus per generationem, sed à Deo per creationem. Nam agentia naturalia agunt per qualitates, & formas accidentales; sed per formas accidentales non possunt producere formas substantiales: ergo formæ substantiales non producantur ab agentibus naturalibus per generationem, sed à Deo per creationem.

3. Tertiò agentia naturalia producant sibi simile; sed quæ generantur ex putri non producantur à simili: ergo non producantur à generante naturali, ac proinde creantur à Deo.

4. Quartò quæ non creantur, non sunt creaturæ: ergo si quæ producantur à causis secundis non creantur, non sunt creaturæ, quod est hæreticum.

5. Respondéo certum est, quod in generatione hominis admisceatur creatio, siquidem anima rationalis creatur à Deo, vt dictum est in Philosophia quæst. 32. de anima. Queritur, vtum alia formæ præsertim substantiales creantur, ac proinde in omnibus naturalibus generationibus admisceatur creatio formarum, præsertim substantialium.

6. Antiqui inciderunt in duos contrarios errores. Primus error fuit eorum, qui ex vna parte putantes formas non posse de nouo incipere, nisi creentur ex nihilo, & ex alia parte,

existimantes absurdum formas in naturalibus generationibus creari ex nihilo, dixerunt formas præexistere actu in materia, in eaque latitare, ac in generationibus non incipere de nouo, sed solum manifestari, ac detegi. Secundus error est eorum, qui censuerunt formas non solum detegi, sed de nouo incipere per creationem, per quam creantur à Deo, vel ab aliquo alio agente separato.

7. Dicendum in generationibus naturalibus formas materiales non creari, sed educi ex potentia subiecti, & materiæ, in qua non præexistunt actu, sed solum potentia. Probatur: nam formæ materiales cum contineantur in potentia materiæ, possunt ex tali potentia educi: ergo non creantur, sed educuntur ex subiecto, & materia præexistentibus.

8. Addit Sanctus Thomas illud solum, propriè produci, & generari, quod propriè est; sed solum compositum propriè est, formæ autem non tam sunt, quam ijs compositum est; ergo formæ materiales non tam producantur, & generantur, quam comproducantur, & congenerantur ad generationem, compositi, & educuntur ex potentia materiæ. Videri possunt dicta à me in Physica, quæst. 10.

9. Ad 1. distinguo maiorem: quod de nouo producit, & non ex materia, tanquam ex parte sui, neque tanquam ex subiecto, ex cuius potentia educatur, creatur, concedo; quod de nouo producit ita, vt educatur ex potentia subiecti, creatur, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Formæ substantiales materiales non creantur, quia educuntur ex potentia subiecti: ad creationem autem formæ requiritur, vt non educatur ex potentia subiecti præexistentis.

10. Ad 2. Licet agentia naturalia agant per accidentia, nihilominus per talia accidentia, tanquam per instrumenta substantiæ, possunt producere substantias, & formas substantiales educere ex potentia materiæ, vt explicatum est in Philosophia in lib. de Gener. quæst. 21.

11. Ad 3. Quæ nascuntur ex putri generantur à causis vniuersalibus, puta à corporibus coelestibus, tanquam ab instrumentis Intelligentiarum, & illis assimilantur similitudine quadam non vniuoca, sed æquiuoca, vt explicatum est in lib. de Gener. quæst. 21. & 22.

12. Ad 4. Quæ generantur à causis naturalibus sunt creaturæ, quia cum reducantur ad principia, & causas creatas ex nihilo, etiam ipsa saltem remotè facta sunt ex nihilo, quod sufficit ad hoc, vt propriè sint creaturæ.

De productione mundi ab eterno, vel in tempore.

Postquam S. Thomas qu. 44. & 45. egit de creatione, qu. 46. agit de productione mundi.